Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 693
Quelle:
Copyright:

CCXXI. VII E.26

344 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 175. f. probe ſcriptus, rubricisque diſtinctus, qui olim, ut *primo* et *ult. fol.* adnotatum, pertinuit ad Monaſterium *S. Georii in Weltenburch*, ſive *Valentiam* O. S. B. Dioec. *Ratisbon.* in *Bavaria*, complectitur varia D. *Auguſtini* Opuſcula, eaque ordine ſequenti: I. praemiſſa Pictura lineari, quae S. Doctorem cum *Licentio*, *Trigetio* et *Alipio* confidentem exhibet, *Libros III. contra Academicos.* Antecedit illos: *Prologus Retractationum Sancti Auguſtini Epiſcopi. Jam diu eſt quod facere cogito* &c. Poſt hunc: *Incipit Tractatus Sancti Auguſtini in Libros contra Achademicos.* Tractatus hic nihil eſt aliud, quam C. 1. L. I. *Retractat.* quod incipit: *Cum ergo reliquiſſem, quę adeptus fueram* &c. et finit: *Hoc opus ſic incipit.* Non enim neceſſe erat addere, ut in editis: *O utinam Romaniane hominem ſibi aptum.* Cum alioquin interjecto hoc Rubro: *Incipit liber ſancti auguſtini epiſcopi. contra Achademicos*, verba illa continuo ſequantur. Opus integrum eſt, ut edit. *Maur. Pariſ.* 1689. T. I. *col.* 249.

II. *fol.* 43. *Incipit Liber. I. Soliloquiorum eiusdem.* Initium: *Voluenti michi multa ac uaria mecum* &c. Cum L. II. ut edit. *cit. col.* 355. Nihil tamen hic e *Retractat.* praemiſſum eſt.

III. *fol.* 69. ſequitur: *Retractatio eiusdem in libro de inmortalitate animę. Poſt libros Soliloquiorum iam de agro mediolanum reuerſus* &c. Et: *Retractatio in librum diſciplinarum id eſt VII. liberalium artium. Per idem tempus quo mediolani fui* &c. Sunt haec C. 5. et 6. *Libri I. Retract.* Atque nunc demum: *Incipit liber Sancti Auguſtini de inmortalitate animę.* Initium: *Si alicubi eſt Diſciplina. nec eſſe niſi in eo* &c. Extat edit. *cit. col.* 387.

IV. *fol.* 79. p. 2. *Incipit eiusdem liber de quantitate animę. per dialogum ſubtiliſſime editus.* Initium: *Quoniam uideo te abundare ocio* &c. Extat edit. *cit. col.* 401.

V. *fol.* 107. *Incipit Prologus Sancti Auguſtini in librum de natura boni. Liber de natura boni aduerſus manicheos eſt* &c. Prologus hic c. 9. L. II. *Retractat.* eſt, quem ſtatim Opuſculum ipſum excipit hoc initio: *Summum bonum quo ſuperius non eſt Deus eſt* &c. ut in edit. *cit.* T. *VIII. col.* 501.

VI. *fol.* 120. *Incipit Tractatus Sancti Auguſtini. De Octo Queſtionibus.* Non certe illis *ad Dulcitium*, ſed farrago quaedam *Auguſtini* Sententiis hinc inde conſperſa, quae incipit: *Generalem iuſticiam non uiolat quis. niſi libidine transgreſſus fuerit placitum ſocietatis humanę* &c. Exponuntur loca quaedam *Eccleſiaſtici, Prov. Deut.* et *Exodi.*

VII. *fol.* 122. *Incipit Retractatio S. Auguſtini in Libros de Ordine. Per idem tempus inter illos quidem qui de achademicis ſcripti*